

850 Venit autem hora, ut quid sibi et matri commune esset, ostenderet, cum eam, moriturus in cruce, discipulo virgini Virginem commendare curavit. Carnis namque infirma perpressus, matrem, de qua haec susceperat, pie cognitam, ei quem maxime diligebat discipulo commendavit: quam divina facturus, quasi incognitam se nosse dissimulat, quia hanc divinae nativitatis auctorem non esse cognoscit. Huius vero horae Dominus in cruce pendens, commemorans, dixit matri: *Mater, ecce filius tuus*: quasi dixisset: Ecce quod ex te sumpsi, modo ostenditur moriendo, quid est: quae tamen natura postmodum clarificanda erat in resurrectionis gloria.

851 *Dixit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis facite.* Sciebat quidem mater eius humanitatem Filii sui: licet hoc modo videtur negare, quod poscebatur, Mater tamen sciens pietatem Filii, quod negare nollet, quod petebatur, fiducialiter mandavit ministris, ut mandata implerent iubentis Filii. [Deinde sequitur ut supra, et addit:]

852 *Et dicit eis, inquit, Haurite munc, et ferte architrinclo, et tulerunt.* Architrinclo enim legisperitus illius temporis est, fortasse Nicodemus, vel Gamaliel, vel discipulus tunc eius Saulus, nunc autem magister totius Ecclesiae Paulus Apostolus: et dum talibus verbum Evangelii creditur, quae in littera legis et prophetiae latebat occultum, vinum utique architrinclo de aqua factum propinatur. Et bene in domo harum nuptiarum, quae Christi et Ecclesiae sacramenta figurarent, triclinium, id est tres ordines discumbentium altitudine distantes inesse describuntur: quia nimirum tres ordines fidelium sunt, quibus Ecclesia constat, coniugatorum videlicet, continentium, et doctorum. Primus ordo discumbentium ad nuptias sponsi coele-

stis, id est, in Ecclesia fide, et operatione gaudentium, gradus est coniugatorum fidelium: secundus continentium: supremus praedicatorum....

Hoc fecit initium signorum Iesus in Caena Galilaeae, et manifestavit gloriam suam. Hoc signo, quia ipse esset rex gloriae, et ideo sponsus Ecclesiae, qui ut homo communis veniret ad nuptias, sed quasi Dominus coeli et terrae, elementa prout voluisset, converteret. Pulchra autem rerum convenientia, qui initio signorum, quae immortalis iam per resurrectionem effectus, immortalis vitae studia sola seculantibus ostenderet, carnalem prius, et quasi insipidam mentem eorum, sapore scientiae coelestis imbuat, post vero refectionis gloriam, maiore eos spiritualis gratiae munere completeretur.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

[DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 2, N. 43-44.]

XI.III.

854 SUPERIORI argumento aliud etiam adiciunt et proferunt ex Matthaei Evangelio ductum, quo contendunt minime praesumptioni esse locum, qua fulciri videtur opinio nostra, Mysterium scilicet eo die, quo celebratur, contigisse. Matthaeus cap. 2, vers. 16, ait Herodem, ubi sensit se a Magis irritum, ira abreptum iussisse trucidari omnes pueros qui erant in Bethlehemi, et in omnibus finibus eius a bimatu et infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis. Narrat idem Matthaeus, postquam discessissent Magi, apparuisse Angelum Domini in somnis Ioseph, eumque ita movisse: *Surgi, et accipe Puerum, et Matrem eius, et fugi in Aegyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi: futurum est enim, ut Herodes quaerat Puerum ad perdendum eum*; Iosephum una cum Beata Virgine Puerum in Aegyptum abduxisse: *Qui conurgens accepit Puerum et Matrem eius nocte, et recessit in Aegyptum.* Quam quidem Angeli apparitionem, et Iosephi fugam in Aegyptum, etsi Matthaeus cum Magorum discessu continuata narratione coniungat, certum tamen est nonnisi post quadraginta minimum dies a nato Domino contigisse, cum iuxta cap. 2 Lucae interiecta fuerit Praesentatio in Templo Ierosolymis, de qua nos alibi

sermonem habebimus, ut bene notat D. Augustinus De consens. Evangelist., lib. 2, cap. 5, n. 16, t. 3, append.: *Ac per hoc intelligitur Matthaeus, ubi ait somnio admonitos Magos ne redirent ad Herodem, et per aliam viam regressos in regionem suam, illic praetermissis quae Lucas narravit gesta circa Dominum in Templo, et dicta a Simone et Anna; ubi rursus Lucas praetermittens praefectionem in Aegyptum, quam narrat Matthaeus, tanquam continuam contextit regressionem ad Civitatem Nazareth.* Itaque S. Augustinus in eodem loco petitam ex duobus illis Evangelistis historiam scribere aggressus de Iesu Christi Nativitate et Infantia, primo loco ponit Magorum reditum, secundo Praesentationem in Templo post quadraginta dies a Christo nato, tertio Angeli Apparitionem, postremo fugam in Aegyptum; quae cum certissime gesta sint, quaerunt contrariae sententiae fautores, qui credi possit pueros a bimatu et infra Herodem iussisse interfici, qui, quo tempore stella illuxisset, a Magis intellexerat; proindeque ut se ab omni metu liberaret, satis fuisset bimestres, trimestresve pueros necari: quaerunt itidem, qui fieri poterit, ut Herodes, quem credere par est cognoscendi cupidissimum ubi natus fuisset Christus, animoque anxium de Magorum discessu statim factum esse certiores (Bethlehem enim haud longe distat ab Ierosolymis) tam longo post tempore infantes luserit trucidari. Neque enim eo confutere opus est, ut dicamus, quemadmodum supra diximus, ita Deo visum esse, ut, cum sibi placitum esse Magos per aliam viam in regionem suam reverti, nihil quidquam Herodi de nato puero nunciantes, illud pariter voluerit, Herodem minime quidem illico, sed aliquanto post de eorum discessu comperisse. Satis enim totam hanc rem evolveri, et explicari, si dicamus, non tredecim post diebus a Christo nato, sed post Purificationem in Templo, vel iuxta Florentinium, et Epiphaniam, Haer. 51, et iuxta Evangelium quoque Matthaei, a bimatu, duobus tribusve post annis Magos Bethlehemem venisse. Neque vero, quod Florentinus quoque observavit, multum temporis opus erat Herodi ad deliberandam caedem infantium; cum sexaginta annis ante, M. Cicerone et Antonio Coss. rumore orto, ac per urbem meo, *Regem pop. Rom. nataram parthirae, eo rumore Senatus commotus censuerit, ne quis (ut ait Suetonius in August. cap. 94) illo anno genitus educeretur.*

855 XLIV. Qui ad hunc modum disputant, ad Matthaei et Lucae Evangelia provocant. Atqui eorum argumentationis diluendae ratio ex ipsis Matthaei et Lucae Evangelii desumitur. Matthaeus enim cap. 2, vers. 1, scribit: *Cum ergo natus esset Ie-*

sus in Bethlehemi Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam. Vox illa ecce indicat Magorum adventum Christi Nativitati valde proximum, ideoque tredecim post diebus contigisse: neque enim vox illa adhiberi solet rebus indicandis, quae longo post tempore contigerint, ut bene advertit Melchior Canus, de Loc. Theologic., lib. 11, cap. 5, in Responsione ad 5 argumentum, qui ut illius vocis vim, et potestatem explicet luculentius, locum affert Genesios ex cap. 24, vers. 15: *Necum intra se verba conpleverat, ecce Rebecca egrediebatur.* Verum quidem est, discessum inter Magorum, et somnium quo monitus est Ioseph ut fugeret, mensem saltem interiectum fuisse, et nihilominus Matthaeum eandem vocem ecce adhibuisse: *Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit; ex quo arguunt adversarii non admodum voci illi esse fidendum, ut Magorum adventum cum Christi Nativitate continuo coniungamus.* Duo tamen consideranda sunt. Primum est, quod si vox ecce nihil obest, quominus inter Magorum adventum et Nativitatem Christi integer mensis intericiatur, certe tamen excludit duorum triumve annorum interitum. Alterum est, quod vox ecce commode adhibetur post intervallum non tredecim modo dierum, sed etiam sfidi mensis, et ad rem inopinatum demonstrandum bene redigitur, si certo constat, non plus eo temporis esse elapsam inter duo facta, quibus vox ecce interponitur, ut in allato exemplo inter Magorum adventum, et Angeli apparitionem; Lucas enim ostendit interea Praesentationem in Templo contigisse ac propterea unius circiter mensis spatium esse clapsum. Ubi vero minime pateat, totum id temporis effluxisse inter utraque rem gestam, ut inter Nativitatem et Magorum adorationem nihil est quod ostendat plus quam dies tredecim decurrisse, vox ecce naturalem suam vim potestatemque retinet indicandi rem inopinatum, nec multo post gestam ab ea re, quam paulo ante narrat historicus, et cum qua vocem ecce coniunxit.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. VIII, 1-13.

In illo tempore: Cum descendisset Iesus de monte, secutae sunt cum turbae multae:

1. et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.
2. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius.
4. Et ait illi Iesus: Vide, nemini dixeris: sed

vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod praecepit Moyses, in testimonium illis.

5. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum.

6. et dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, et male torquetur.

7. Et ait illi Iesus: Ego veniam, et curabo eum.

8. Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.

9. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit.

10. Audiens autem Iesus miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.

11. Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Iacob in regno caelorum:

12. filii autem regni eiciuntur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, et stridor dentium.

13. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

COMMENT. IN EVANG. MATTHAEI, CAP. 8.

856 **Q**UM autem descendisset Iesus de monte, seculae sunt eum turbae multae, et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens. De monte Domino descendente, occurrunt turbae, quia ad altiora ascendere non valuerunt. Et primus ei occurrit leprosus. Necdum enim poterat cum lepra tam multiplicem in monte Salvatoris audire sermonem. Et notandum quod hic primus specialiter curatus sit: secundo, puer Centurionis: tertio socrus Petri, febricens in Capharnaum: quarto loco, qui oblati sunt ei a daemonio vexati, quorum spiritus verbo eiciebat, quando omnes male habentes curavit. *Et ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens.* Recte post praedicationem atque doctrinam signi offertur occasio: ut per virtutem miracula, praeteritis apud audientes sermo firmetur. *Domine, si vis, potes me mundare.* Qui voluntatem rogat, de virtute non dubitat.

857 *Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius.* Extendente manum Domino, statim lepra fugit. Simulque

considera quam humilis et sine iactantia responsio. Ille dixerat, si vis: Dominus respondit, *volo*. Ille praemisera, *potes me mundare*: Dominus iungit, ed dicit, *mundare*. Non ergo ut plerique Latinorum putant, iungendum est, et legendum *volo, mundare*: sed separatim, ut primum dicat, *volo* deinde impetrans dicat, *mundare*.

Et ait Iesus: *Vide nemini dixeris.* Et revera quid erat necesse ut sermone iactaret, quod corpore praeferebat? *Sed vade, ostende te sacerdotibus: et offer munus quod praecepit Moyses in testimonium illis.* Varias ob causas mittit ad sacerdotes. Primum, propter humilitatem, ut sacerdotibus deferre honorem videatur. Erat enim lege praecceptum, ut qui mundati fuerant a lepra offerrent munera sacerdotibus. Deinde, ut mundatum videntes leprosum, aut crederent Salvatore, aut non crederent. Si crederent, salvarentur: si non crederent, inexcusabiles forent. Et simul ne quod in eo saepissime criminabantur, legem videretur infringere.

Accessit ad eum Centurio, rogans eum et dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, et male torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, et curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Non debemus iactantiae arguere Dominum, quia statim se iturum et sanaturum esse promittit, videns Centurionis fidem, humilitatem; et prudentiam. Fidem, in eo quod creditit ex gentibus paralyticum a Salvatore posse sanari. Humilitatem, quod se iudicavit indignum, cuius tectum Dominus intraret. Prudentiam, quod intra corporis tegmen divinitatem latentem videret, sciens non id sibi profuturum, quod etiam ab incredulis videbatur; sed id quod latebat intrinsecus. De qua prudentia hoc etiam ait:

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

[DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 3, N. 43.]

XLV.

NARRAT D. LUCAS, quod supra attigimus, suoque loco fuse docēbimus, B. Virginem in Templo Ierosolymitano quadraginta diebus post editum Iesum se purificasse. Beata igitur Mater Bethlehemo profecta, Ierosolymam se cum filio Iesu contulerat; itaque si Magi venerunt post Purificationem Matris, Filiiq. Praesentationem in Templo, qui fieri potuit, quod narrat Matthaeus, ut Magi Marianam et Iesum Bethlehemi repererint? *Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria matre eius.* Quam rationem si quis velit diluere, eo confugiant oportet, ut dicant, B. Virginem, Bethlehemo cum discessisset, ut se Ierosolymam purificaret, Filiumque praesentaret in Templo, rursus Bethlehemo revertisse: atque ca sane est responsio Auctoris, qui scripsit Adnotationes ad Vitam I. Christi, in cap. 8. Verum de eo relictum altum apud omnes Scriptores silentium, nec cuiquam verisimile videatur B. Mariam eo rediisse. Nulla ibi domus illi erat; nulla suppellex; praeterirent apud Bethlehemo hora partus oppressit; ibi et circumcidendo filio, et legis praeccepto, (tametsi non teneretur) ne qua mulier, nisi certo quodam tempore post partum elapso, Templum ingrederetur, necessario detenta; ut optime loco cit. disputat Melchior Canus, et Baronius ad ann. 1 Chr., num. 31. Quamobrem nemo non videt, ex Matthaei et Lucae Evangelis nihil quidquam erui posse, quo inter Magorum adorationem, et Christi Domini Nativitatem duorum, triumve annorum spatium interponamus; aut eam adorationem post Purificationis Festum, aut vigesima sexta vel vigesima septima Ianuarii die contigisse statuamus; quin potius ex utroque Evangelio colligi, tredecim tantummodo diebus post Christi Nativitatem Magos Bethlehemo venisse. Vide Lamy, Harm. Evang., lib. 1, cap. 11, pag. 46, ubi de adventu Magorum scribens: *Ante Purificationem, inquit, Mariae, sive ante quadagesimum a Nativitate Domini diem venerunt, quod verum esse Ioseph et Maria demonstrant, tunc temporis adhuc in Bethleem commorantes; etenim post Purificationem non verisimile est deprehensos in loco, in quem peregrini venerant. Nazareth erat accolatus eorum, et gratis fugerit, quandoque reversos Bethleem, ut etiam post unum vel alterum annum a Nativitate reperti sint a Magis.*

860 *Nam et ego homo sum sub potestate habens sub me milites: et dico huic: Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit.* Volens ostendere Dominum quoque non per adventum tantum corporis, sed per angelorum ministeria posse implere quod vellet.

861 *Audiens autem Iesus, miratus est, et sequentibus se dixit.* Miratus est quod vidit Centurionem suam intelligere maiestatem. Pellendae enim erant vel infirmitates corporum, vel fortitudines contrariae, quibus homo ad debilitatem saepe conceditur, et verbo Domini, et ministeriis angelorum. *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* De praesentibus loquitur, non de omnibus retro patriarchis et prophetis: nisi forte in Centurione fides gentium praepositur Israel.

862 *Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Iacob, in regno caelorum.* Quia Deus Abraham, coeli conditor, Pater Christi est, idcirco in regno caelorum est et Abraham, cum quo acubiturae sunt nationes, quae crediderint in Christum Filium Creatoris. Et ille pariter sensus impletur, de quo supra diximus, in Centurionis fide gentium fieri praerogativam: dum ad illius credulitatem de oriente et occidente credituri populi commemorantur.

863 *Filii autem regni eiciuntur in tenebras exteriores.* Filios regni Iudaeos significat, in quos ante regnavit Deus. *Eiciuntur in tenebras exteriores.* Tenebrae semper interiores sunt, non exteriores. Sed quoniam qui a Domino foras expellitur, lumine relinquitur; idcirco exteriores tenebrae nominatae sunt. *Ibi erit fletus et stridor dentium.* Si fletus oculorum est, et stridor dentium ossa demonstrat: vera est ergo corporum et eorumdem membrorum quae ceciderant, resurrectio.

FERIA SECUNDA

Homilia sancti Augustini Episcopi.
DE CONSENSU EVANGELISTARUM, L. 2, CAP. 20.

865 **P**OST haec Matthaeus sequitur, et dicit: *Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad illum Centurio, rogans eum, et dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, et male torquetur, et cetera, usque ad eum locum ubi ait: Et sanatus est puer ex illa hora (MATTH. VIII, 5-13).* Hoc de puero Centurionis etiam Lucas commemorat: non, sicut iste, post leprosum mundatum, quem ille postea recordatus commemoravit, sed post finem illius prolixioris sermonis, quod ita coniungit: *Cum autem implexisset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum: Centurionis autem cuiusdam servus male habens erat mortuus, qui illi erat pretiosus, etc., usque in eum locum quo sanatus est (LUC. VII, 1-10).* Hic intelligendum est, cum implexisset quidem omnia verba sua in aures plebis, intrasse Christum Capharnaum, hoc est, quia non antequam haec verba terminasset intravit: sed non esse expressum post quantum temporis intervallum cum istos sermones terminasset intraverit Capharnaum. Ipso quippe intervallo leprosus ille mundatus est, quem loco suo Matthaeus interponit, iste autem postea recordatur.

866 **I**am ergo videamus utrum sibi de hoc servo Centurionis Matthaeus Lucasque consentiant. Matthaeus enim dicit: *Accessit ad eum Centurio, rogans eum et dicens: Puer meus iacet in domo paralyticus. Cui videtur repugnare quod ait Lucas: Et cum audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudaeorum, rogans eum ut veniret, et salvaret servum eius. At illi cum venissent ad Iesum rogabant eum sollicito, dicentes ei: Quia dignus est, ut*

*hoc illi praestes: dicitur enim gentem nostram, et synagogam ipse aedificavit nobis. Iesus autem ibat cum illis: et cum iam non longe esset a domo, misit ad eum Centurio amicus dicens: Domine, noli vexari: non enim dignus sum ut sub tectum meum intres; propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te: sed dic verbo, et sanabitur puer meus. Si enim hoc ita gestum est, quomodo erit verum quod Matthaeus narrat: Accessit ad eum quidam Centurio, cum ipse non accesserit, sed amicos miserit? nisi diligenter advertentes intelligamus Matthaeum non omni modo deseruisse usitatum morem loquendi. Non solum enim dicere solemus accessisse aliquem, etiam antequam perveniat ille quo dicitur accessisse; unde etiam dicimus: Parum accessit, vel multum accessit, eo quo appetit pervenire: verum etiam ipsam perventionem cuius adipiscendae causa acceditur, dicimus plerumque factam, etsi eum ad quem pervenit, non videat ille qui pervenit, cum per amicum pervenit ad aliquem, cuius ei favor est necessarius. Quod ita tenuit consuetudo, ut iam etiam vulgo pervertentes appellentur, qui potentium quorumlibet tamquam inaccessibiles animos, per convenientium personarum interpositionem, ambitionis arte pertingunt. Si ergo ipsa perventio usitate dicitur per alios fieri, quanto magis accessus per alios fieri potest, qui plerumque infra perventionem remanet, quando potuerit quisque plurimum quidem accedere, sed tamen non potuerit pervenire? Non ergo absurde Matthaeus, etiam quod vulgo possit intelligi, per alios facto accessu Centurionis ad Iesum, compendio dicere voluit: *Accessit ad eum Centurio.**

867 **V**erumtamen non negligenter intendenda est etiam sancti Evangelistae altitudo mysticae locutionis, secundum quam

scriptum est in Psalmo: *Accedite ad eum, et illuminamini (PSAL. XXXIII, 6).* Proinde quia fidem Centurionis, qua vere acceditur ad Iesum, ipse ita laudavit ut diceret: *Non inveni tantam fidem in Israel;* ipsum potius accessisse ad Christum dicere voluit prudens Evangelista, quam illos per quos verba sua miserat. Porro autem Lucas ideo totum quemadmodum gestum esset aperuit, ut ex hoc intelligere cogemur, quemadmodum eum accessisse dixerit alius qui mentiri non potuit. Sic enim et illa mulier quae fluxum sanguinis patiebatur, quamvis sibi tamen vestimenti eius tenuerit, magis tamen tetigit Dominum, quam illae turbae a quibus premebatur (LUC. VIII, 42-48). Ut enim haec quo magis credidit, eo magis tetigit Dominum; ita et Centurio quo magis credidit, eo magis accessit ad Dominum. Iam cetera in hoc capitulo quae alter dicit, et alter praetermittit, superfluo pertractantur; cum ex illa regula primitus commendata nihil inveniantur habere contrarium.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

(DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 2, N. 46)

XLVI.

868 **N**ec quidquam obstat, quod Herodes pueros a bimatu et infra necari iusserit, aut eorum caedem in adeo longum tempus reiecerit, etiamsi quo tempore stella illuxerat, a Magis probe compertum habuisset, et quo tempore ipsi aberant, se insalutato contra quam promiserant, aliunde, ut credere par est, cognovisset. Non enim admodum inverisimile est, Herodem metu, et pavore veluti furis miserrime divexatum, ne in re, quam agitare animo, ullus esset errandi locus, in eam partem peccare maluisse ut furorem suum, etiam ubi non esset opus, quam latissime funderet, et ad bimulos etiam pueros crudelitatem suam proferret: quod quidem minime fugit Chrysostomum, qui Hom. 7 in Matth., haec habet: *Quod si a biennio et infra, Herodes pueros interfecit, non mireris. Siquidem comenicens in eundem Tyrannum pavore et furor pro abundantia cautionis, et licentia per-*

*secutionis, minus etiam tempus includit, ne quis profecto eius actibus, et forte is potissimum propter quem alii interimuntur, effugiat. Praeterea, quod animadvertunt Euthymius, Maldonatus, Iansenius, Estius et Calmetus in cap. 2 Matth., etsi Herodes tempus, quo stella primum illuxerat, a Magis comperisset, suspicari tamen poterat, pueros ante visam stellam esse natum. Quod si ponamus Herodi momentum illud innotuisse, quo Magi Bethlethemo aberint, est aliquid tamen causae, cur infantum caedem diutius differret. Cum enim videret Magos, quod erant polliciti, minime ad se rediisse, existimare potuit, nullo reperto puero Rege, pudore deterritus Ierosolymam noluisse reverti. Ubi autem Puer Iesus Ierosolymae praesentatus fuit in Templo, Annaeque et Simeonis exceptus acclamationibus, tum vero maturandum ratus, nec quidquam expectandum amplius, crudelissimam illam puerosum lanienam coxit. Quae quidem responsio tota est D. Augustini, lib. 2 De Consensu Evangelist., cap. 2: *Illud dico, postquam nihil Herodi Magi renuicaverunt, eum credere potuisse, illos fallaci stellae visione decipulos, postquam non invenerunt, quem natum putaverant, erubuisse ad se redire, atque ita eum timore depulso ab inquirendo, ac persequendo puero quiescere. Cum ergo post purificationem Matris eius in Ierosolymam cum illo venissent, et ea gesta essent in templo, quae a Luca narrantur, quia verba Simeonis, et Annae de illo prophetantium cum coepissent ab eis, qui audierant, praedicti, ad pristinam intentionem revocaturus erat animus Regis; admonitus per somnium Ioseph cum Infante, et Matre eius fugit in Aegyptum; deinde vulgatis rebus, quae in templo factae, dictatae fuerant, Herodes se a Magis sensit illusum, ac deinde ad Christi mortem cupiens pervenire, multos infantes, sicut Matthaeus narrat, occidit.* Augustini responsum hanc Tillemontius, Not. 9 ad Iesu Christi vitam, eam esse ait, qua nulla melior afferri possit, nulla ad hanc rem quam tractamus concinnior; sibi tamen ab ea minus esse satisfactum. Nos vero illum utpote a maximo ingenio viro, et Ecclesiae Doctore omnium clarissimo ortam venerati, in ipsius Augustini iudicio plane conquesimus.*

FERIA TERTIA

Homilia S. Thomae Aquinatis.
IN MATTHAEUM CAP. 8.

869 **P**OSSET videri quod ex iactantia loqueretur Dominus; ideo auctoritatem suam signis commendat. Primo ergo ponuntur signa, quibus liberantur homines a corporalibus periculis; secundo a spiritualibus, cap. ix. Circa primum duo facit. Primo ponit signa quibus homines liberantur a periculis provenientibus ex intrinsicis causis; secundo ex extrinsecis, ut tempestate, ibi: *Et ascendente eo in naviculam.* Commendat auctoritatem, quia statim, quia absens, quia perfecte, quia multos. Quia statim, in leproso; quia absens, in servo Centurionis; qui perfecte, in socio Petri; quia multos, in aliis multis.

870 Circa primum tria. Primo testes miraculi introducuntur; secundo infirmus inducitur, ibi: *Et ecce leprosus;* tertio auxilium praebetur, ibi: *Et extendens Iesus manum, tetigit eum dicens: Volo, mundare.* Dicit ergo: *Cum autem descendisset Iesus de monte,* etc. Mons iste est coelum; Ps. lxxvii, 17: *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Unde postquam descendit de coelo, *secutae sunt eum turbae;* Phil. ii, 7: *Exinavit semetipsum formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo,* etc. Vel per montem altitudinis doctrinae; Ps. xxxv, 7: *Iustitia tua sicut montes Dei.* Cum esset in monte, idest cum altam duxit vitam, secuti sunt eum discipuli sui. *Et cum descendisset, secutae sunt eum turbae;* I ad Cor. iii, 1: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus.* Secundo persona infirmi introducitur; et ponuntur duo. Primo infirmitas ostenditur; secundo sollicitudo adhibetur. Infirmitas, quia est leprosus; et hoc significat spirituales infirmitates. Quaedam enim infirmitates sunt intra latentes, ut

febres: quaedam vero, etsi sunt ab intra, eius tamen effectus patet exterius, ut lepra. Ille ergo leprosus est, cuius mala voluntas manifestatur per malum actum; Is. llii, vers. 4: *Et nos putavimus eum quasi leprosum.*

871 Sed quaestio est, quia in Luca habetur, quod cum veniret Capharnaum mundavit leprosum. Dicendum, quod Matthaeus sequitur historiam, quia cum iret in Capharnaum, in via apparuit ei leprosus.

872 Sequitur sollicitudo, quia primo venit; secundo adoravit; unde dicit: *Ecce leprosus.* Sic peccator per fidem venit, sed adorat per humilitatem; Ps. xxxiiii, 19: *Humiles spiritu salvabit Deus.* Item confitetur Christi potentiam, cum dicit: *Domine, si vis, potes me mundare.* Item vocat Dominum. Si Dominus est, potest salvare. In Ps. xcix, 3: *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus.* Item confidit de Dei misericordia. Misericordem non oportet petere, sed solum indignitatem ei monstrare: sic iste: *Domine, si vis, potes me mundare.* Unde Ps. xxxvii, 10: *Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus.* Item ostendit sapientiam Christi: quia non petit nisi voluntatem suam: quia melius scit, quid opus sit tibi quam ipse. Ideo sapientiae Christi dimisit. Deinde tangit auxilium. Primo sanat; secundo instruit. Primo tangitur opus; secundo effectus, ibi: *Et confestim mundata est lepra eius.* Christus tria facit curando. Extendit manum, quando auxilium impendit; Ps. cxliii, 1: *Emitte manum tuam de alto, et eripe me.* Aliquando extendit manum, sed non tangit; Is. lxxv, 2: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum,* etc. Aliquando tangit; et hoc est quando immutat, ut in Psal. cxliii, 5: *Tange montes* (idest superbos), *et frumigabunt,* per compunctionem.

873 Sed quare tetigit, cum esset prohibitum in lege? Hoc fecit ut monstraret se esse supra legem. Legitur de Eliseo quod non tetigit Naaman, sed misit eum ad Iordanem. Unde iste qui tetigit, videtur solvere legem. Sed secundum veritatem non solvit, quia prohibitum fuit propter contagionem. Quia igitur infici non potuit, tangere potuit. Item tetigit, ut humanitatem monstraret; quia non sufficit peccatori subdi Deo quantum ad divinitatem, sed et quantum ad humanitatem.

874 *Volo, mundare.* Hieronymus dicit, quod quidam male exponunt. Volunt enim quod ly *mundare* sit infiniti modi; sed hoc non est verum: immo quia dixerat: *Si vis,* respondit, *Volo;* et ly *mundare* est imperativi modi. Unde imperavit qui dixit, et facta sunt.

875 Item tetigit, ut daret doctrinam de virtute quae est in sacramentis, quia non solum requiritur tactus, sed verba: quia cum accedit verbum ad elementum, fit sacramentum. Et per hoc exclusit tres errores, quando tetigit. Ostendit enim corpus verum contra Manichaeos. Quod dicit: *Volo,* dicit contra Apollinarem. Per hoc quod est *mundare,* ostendit Deum verum contra Photinum.

876 Et sequitur effectus: *Et confestim mundata est lepra eius,* et curatus est. Chrysostomus dicit, quod citius quam posset dici hoc verbum, *mundare:* quia istud in tempore dicitur, illud vero in instanti. *Et ait illi.* Hic instruit eum: parum enim esset sanare nisi instrueret eum; Psal. xxxi, vers. 8: *Intellectum tibi dabo, et instruam te.* Primo iniungit ei taciturnitatem: *Nemini dixeris.* Chrysostomus: *Quia sciebat quod Iudaei calumniabantur de factis suis, ideo dixit: Nemini dixeris.* Vel aliter. Quia hoc dixit ad exemplum. Quia enim supra docuerat abscondere opera bona; ideo dat exemplum, quod nullus in bonis operibus glo-

riari debet. Sequitur: *Sed vade, ostende te sacerdotibus.* Et quare hoc dicit? Quia tetigerat leprosum, ne penitus videretur fractor legum. Ad sacerdotes mittitur, ut habetur Lev. xiv. *Et offer munus tuum,* etc. Quare? Quia hoc erat praecipuum legis, quod sanatus a lepra offerret duos pullos turturum.

877 Sed secundum hoc videtur, quod cum Dominus praeeperit, adhuc sit tenendum. Dicendum quod figurac non debent cessare, donec penitus veritas manifestaretur. Hoc autem non fuit nisi post resurrectionem.

878 *In testimonium illis;* et hoc exponitur dupliciter. *Moyses praecipit in testimonium illis.* Et per hoc docet quod praecipua Moysi erant in testimonium Christi, sicut habetur Ioann. v, 46: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi.* Vel aliter. *In testimonium illis,* idest contra illos, qui viderunt miracula, et non crediderunt. Vel *in testimonium illis,* scilicet curationis tuae. Quia cum receperint oblationem tuam, non poterunt negare.

879 Item secundum mysticum intellectum tria a Christo iniunguntur. Ut erubescat de peccato; contra illos de quibus dicitur Is. iii, 9: *Peccatum suum quasi Sodoma praedicaverunt, nec absconderunt.* Unde Eccli. iv, 25: *Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam.* Item debet ostendere sacerdoti confitendo. Iac. v, 16: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Et hic videtur Dominus iniungere confessionem. Et confestim sanatus est; quia in ipsa contritione quando dolet et proponit confiteri et abstinere, remittitur peccatum, iuxta illud Ps. xxxi, 5: *Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam, et turremisti iniquitatem peccati mei.* Item iniungitur satisfactio, cum dicit: *Offer munus tuum.* Item docet observare mandata, cum dicit: *Sicut praecipit Moyses.*

880 *Cum autem introisset Capharnaum.* Hic ostenditur virtus Christi ex absentia. Et primo designatur pietas Centurionis cum fide; secundo humilitas, ibi: *Et respondens Centurio*, etc. Circa primum duo, quia designatur primo pietas Centurionis; secundo ostenditur Christi benignitas. Et circa primum tria. Primo locus ponitur; secundo oratio describitur, ibi: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus*; tertio exauditio ponitur, ibi: *Et ait illi Iesus.* Locus primo: *Cum introisset Capharnaum*, qui interpretatur villa pinguedinis, scilicet villa gentium, quae pinguedine devotionis defluxit. Psal. lxxvi, 6: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Deinde accessit.

881 Sed hic potest quaeri: quia Lucas posuit, quod misit sacerdotes. Augustinus dicit quod non personaliter venit, sed quod dicitur quod venit, totum refertur ad intentionem: quia ille facit rem cuius auctoritate fit. Chrysostomus aliter, quia dicit quod iste constitutus erat super centum milites, et ideo erat praepositus. Unde Iudaei volentes adulari propter benevolentiam habendam, dixerunt ei: Domine, nos ibimus, et impetrabimus vobis. Tunc ut satisfaceret eis, permisit eos abire; sed post ipse secutus est eos.

882 Istud miraculum differt a primo in tribus. Quia primum Iudaeo fuit factum, secundum Gentili; per quod datur intelligi, quod non solum pro Iudaeis, sed pro gentibus Christus venit. Item in primo Iudaeus per se accessit, iste non. Et hoc quia miseretur Dominus aliquorum per propriam devotionem, quorumdam per aliorum intercessionem. Item iste Centurio potest intelligi aliquis angelus praesidens ibi ad salutem gentium, vel primitiae gentium. Item ille fuit leprosus, in quo immunditia quiescit. Paralytici autem sunt qui non possunt

membra movere. Leprosi sunt intemperati, et paralytici sunt incontinentes. Et sunt paralytici, qui ex infirmitate peccant; leprosi, qui ex certa malitia. Per Centurionem potest intelligi mens. Ad Ephes. iv, 23: *Renovamini spiritu mentis vestrae.* Et iste dicit: *Domine, puer meus, idest servus meus.* Et in hoc ostenditur benignitas Centurionis, quia ita pro servo orat: unde facit illud quod dicitur in Eccli. xxxiii, 31: *Si fuerit tibi servus fidelis, sit tibi sicut anima tua.* Et iste servus dicitur inferior pars animae. Dicit ergo quod *iacet et male torquetur.* Et loquitur ex affectu, quia quando aliquis diligit aliquem, reputat parvam aegritudinem valde magnam. Iacet ergo inferior pars animae, quando non potest se erigere; Galat. v, 17: *Caro concupiscit adversus spiritum:* et torquetur. Homines lascivi gaudent: *Laetantur enim cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis* (Prov. ii, 14). Sed isti torquentur, quia cum peccent ex infirmitate, cum ceciderint, dolent. Et ita torquentur ex dolore. *Et ait illi Iesus: Ego veniam et curabo eum;* idest non loquar. Unde nota quod nullus aunderet tantum petere, quantum Dominus dare dicit: *Veniam, et curabo eum,* quia praesentia Christi est causa salutis.

883 Sed notandum quod ad filium reguli noluit ire, et ad servum ivit; quod esset contra multos qui nolunt visitare nisi magnos, contra illud Eccli. iv, 7: *Congregationi pauperum affabile te facito.* — Sequitur: *Et respondens Centurio.* Posita fuit cum fide benignitas Centurionis; nunc tangitur humilitas cum fide. Primo ergo ponitur humilitas et fides; secundo benignitas Christi, ibi: *Audiens autem Iesus miratus est.* Circa primum tria facit. Primo confitetur suam indignitatem, ibi: *Sed tantum dic verbo;* secundo Christi potestatem; deinde indu-

cit similitudinem, ibi: *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus.* Obtulerat se Dominus benignum. Sed quia iste gentilis erat, reputavit se indignum, dicens: *Domine, non sum dignus,* etc. Sic etiam Petrus dixit, Luc. v, 8: *Recede a me, quia homo peccator sum.* Et dicit Augustinus, quod confitendo se indignum, reddidit se dignum. Et sicut iste dicit, sic et nos debemus dicere: Non sum dignus ut intres in corpus meum. Deinde tangitur fides Centurionis confitentis potestatem Christi: *Dic tantum verbo, et sanabitur puer meus;* quia, ut habetur Sap. xvi, 12: *Non herba, non malagma sanavit eos, sed sermo tuus, Domine.* Et in Psal. cvi, 20: *Misit verbum suum, et sanavit eos.* Deinde inducit similitudinem, et probat a minori. Et describit ordinem primo; secundo potestatem, et dicit: *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus,* etc. Et tangitur ordo: quia quidam sunt superiores, ita quod non habent superiorem se: quidam sunt superiores, ita quod habent superiorem se: quidam vero inferiores qui non habent inferiores se; quidam ergo sunt medii; et de istis erat iste, quia erat sub tribuno, sed habebat sub se milites. Habebat enim sub se quosdam quorum erat gubernator; et isti erant milites; unde dicit: *Et dico uni: Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit;* in quo commendatur nobis obedientia. Ad Hebr. xiii, 4: *Obedite praepositis vestris, et subiaceite eis.* Item alios habebat servos quibus cibaria ministrabat. Eccli. xxxiii, 25: *Cibaria, et virga, et onus asino; panis, et disciplina, et opus servo.* Et servo meo: *Fac hoc, et facit;* unde vult arguere a minori: quia si ego qui sum in potestate constitutus, haec possum, quanto magis Dominus dominantium potest, etc.

884 Sed videndum quod rationales creaturae sunt liberae, et sunt sicut milites; Iob. xxv, 3: *Numquid est numerus mili-*

tum eius? Et ideo dicitur Dominus exercituum. Sed creatura irrationalis habet subiectionem servilem, quia non habet liberti arbitrii facultatem. Vult ergo dicere: Quia tibi natura obedit, dic naturae, et obediet tibi, quia sermo tuus iudicio plenus est. Videndum est, quod istud duplex dominium invenitur in anima: anima enim praesidet corpori; ratio vero irascibili et concupiscibili. Prima est dominativa potestas, quia ad imperium animae movetur corpus; secunda praecedit aliis quadam imperativa potestate, et dominativa, vel regali: unde habent aliquid de motu suo. Et haec sunt quasi milites; Iac. iv, 1: *Unde bella et lites in vobis? nonne ex concupiscentiis, quae militant in membris vestris?* I Petr. ii, 11: *Hortamur vos abstinere a carnalibus desideriiis, quae militant adversus animam.* Debemus ergo dicere huic, *Vade,* idest malis moribus; *et veni,* scilicet bonis moribus, et *servo huic: Fac hoc.* Unde corpus debemus operi applicare, ut *sicut exhibuimus membra nostra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeamus membra nostra servire iustitiae in sanctificationem,* ut habetur Rom. vi, 19.

885 *Audiens autem Iesus miratus est,* etc. Hic tangitur Christi benignitas. Sed quid est quod dicit: *Admiratus est?* Quia admiratio non cadit in Deo; quia non fit nisi ex ignorantia causae, quae non potest esse in Deo. Item est apprehensio magnitudinis effectus, quod fit ex imaginatione et phantasia alicuius effectus magni, et sic potest cadere etiam in Christo: unde admiratus est, idest magnum reputavit, et hoc turbis sequentibus ostendit. Et commendavit eum: unde sequentibus se dixit: *Non invenit tantam fidem in Israel.*

886 Sed quid est? Nonne in Abraham, Isaac et Iacob fuit maior fides? Dicendum, quod immo; sed quod hic dicitur, intelligitur pro tempore illo.

887 Sed tunc est questio de Apostolis, et Martha, et Maria. Et dicendum quod iste maioris fidei erat, quia nullum praeambulum viderat, sicut isti qui miracula viderant. Item Petrus venit ad vocem Andree, Andreas ad vocem Ioannis. Item in verbo Marthae fuit aliquid dubietatis, quia dixit (IOANN. XI, 21): *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*; quasi absens non posset. Sed in verbo istius nihil fuit dubietatis. Alii exponit Chrysostomus. Quia magnum et parvum aliquando dicuntur non absolute, sed in comparatione, sicut dicuntur in domo multi, in theatro pauci. Unde: *Non inveni tantam fidem in Israel*, scilicet per comparationem illius gentilis. Deuter. XXVIII, 43: *Adevena qui tecum moratur in terra, ascendet super te, erit que sublimior*.

888 *Dico autem vobis*. Occasione huius agit de comparatione Iudaeorum et gentilium; et primo de vocatione gentilium; secundo de reprobatione Iudaeorum. *Dico quod multi ab oriente et occidente venient*, etc. Et dicitur istud in comparatione, quia *multi sunt vocati, pauci vero electi*; infra XX, 16: *Ab oriente et occidente*, ita quod per hoc totus mundus intelligatur. Vel *ab oriente*, in tempore prosperitatis; *et occidente*, scilicet in tempore adversitatis. Vel *ab oriente*, in tempore iuventutis; *et occidente*, in tempore senectutis. *Et recumbent*. Iste recubitus opulencia est rerum spiritualium, scilicet in contemplatione. Luc. XXII, v. 29: *Ecce dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*. Et Is. LXV, 13: *Ecce servi mei comedent, et vos usurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitiatis*, etc.

889 Sed quare cum Abraham, Isaac et Iacob? Quia gentiles per fidem iustificantur, sicut Iudaei, ut habetur Rom. IV, et Gen. XII. Item istis facta est reprobatio,

quia in semine tuo benedicentur omnes gentes, Gen. xv, 18. Ideo isti recumbent cum patribus suis.

890 Sequitur: *Filii autem regni eiciuntur in tenebras exteriores*. Hic ostendit reprobationem Iudaeorum, et describit poenam damni, quia amittent bona, et incurrent mala. Dicit autem: *Filii regni*, quia in illis Deus regnabat; Ps. LXXV, 2: *Nolus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius*. Item figuris legis servi erant. Item facta est eis promissio, ut habetur Rom. IV. *Eiciuntur in tenebras exteriores*. Et haec est poena damni. Consequenter enumerat mala quae incurrent, quia qui primo quoad intellectum incurserunt tenebras interiores, eiciuntur postea in tenebras exteriores, quia tunc erunt totaliter alienati a Deo, qui est lux vera. Et hoc est quod dicitur Tob. IV, 11: *Elemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patietur animas ire in tenebras*. Item quantum ad effectum, *tibi erit fletus*. Fletus nuntiat dolorem; Is. LXV, 4: *Ecce servi mei laetabuntur, et vos confundemini*. Item ostenditur passio in corpore, quia *stridor dentium*: habebunt enim corpora in resurrectione; Prov. XIX, 29: *Parata sunt derisoribus iudicia, et mallei, et ferrum*: quae iudicia doloris pertinent ad concupiscibilem, stridor ad irascibilem. Vel secundum Hieronymum, utrumque pertinet ad poenam corporalem, quia resurrectio non erit solum in anima, sed in corpore: quia erit et multus calor, et multum frigus; Job XXIV, 19: *Transibunt ab aquis nivis ad calorem nimum*.

891 Ostenditur Dei benignitas, cum dicit: *Et dixit Iesus Centurioni: Vade, et sicut credidisti fiat tibi*. Sed sequitur effectus: *Et sanatus est puer*, quia sermo eius virtute plenus est, Eccle. VIII, 7.

Varia de Epiphania, Ex Benedicto XIV.

(DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 2, N. 47.)

XLVII.

892 **C**UM ea omnia quae ad Mysterium pertinet Epiphaniae declaraverimus, quaedam breviter perstringemus, quae ad magni huius Festi celebritatem, et vetustatem attinet. Scribit Thomasinus, Tractatu de Festor. celebrat., lib. 2, cap. 7, n. 1: *Nullus sanae mentis inficiabitur, Epiphaniae solennia maxima semper et celebrissima fuisse. Patet hoc cuius evolventi priorem librum, et Sacros Festos expendenti secundum amorum seriem in utraque Ecclesia. In illis Epiphania suum semper vindicat locum, tunc quoque cum celebritatibus plurimum, quae nunc aguntur, nusquam comparent*. Et lib. 7, cap. 4, affert testimonia veterum Patrum, et cap. 5, Conciliorum loca, quibus mentio fit de maxima Epiphaniae sollemnitate. Galosinius in notis ad Martyrolog., pag. 13, ita de hoc Festo loquitur: *De cuius sane diei celebritate pluribus disserendum non est, cum res a Patribus tum Latinis, tum Graecis explicata satis admodum in promptu sit*. Et Martene, De antiqua Ecclesiae Disciplina in celebrandis Divinis Officiis, cap. 14, n. 3: *Epiphania, ut diximus, inter praecipuas solennitates semper habita est*. Suarez vero, tom. 1 de Religione, lib. 2, cap. 5, n. 9, putat magni huius Festi celebrationem Apostolis auctoribus tribuendam. Et Gretserus, tom. 5 Operum suorum, novissimae edit., lib. 1 de Festis, cap. 30: *Festum hoc, inquit, antiquissimum est*.

FERIA QUARTA

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.

DOM. III. POST EPIPH., SERMO I.

893 **E**CCE, leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare, Matthaei octavo.

894 Prothema. *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis*.

895 Homo miserabilis ex sui transgressione primaria triplex iugiter deplorat incommodum, scilicet debilitatis et impotentiae in effectu, et hoc per recessum a summa maiestate; necessitatis et indigentiae in profectu, et hoc per recessum a summa bonitate; crudelitatis et duritiae

in affectu, et hoc per recessum a summa pietate; et idcirco in verbis secundo loco positus, quae in Threnorum quarto leprosi leguntur, triplex praenotatur incommodum, scilicet *impotentiae et debilitatis* in effectu, cum praemittit: *Parvuli*, scilicet debiles et impotentes; *indigentiae et necessitatis* in profectu, cum sequitur: *petierunt panem*; omnis enim petitio praesupponit necessitatem et indigentiam in petente; *duritiae et crudelitatis* in affectu, cum subiungitur: *et non erat qui frangeret eis*. Nos igitur, volentes quaedam utilia congregationi praesenti proponere, debemus primo mentes nostras ad misericors et fontale principium rogando dirigere, ut ab effectu nostro auferat debilitatem et impotentiam, ipsum fortificando; a profectu auferat necessitatem et indigentiam, ipsum amplificando; ab effectu auferat crudelitatem et duritiam, ipsum rectificando; ut sic in effectu fortificati, in profectu dilatati, in affectu rectificati, possimus aliqua dicere, quae sunt ad laudem et gloriam sui benedicti nominis et animarum nostrarum consolationem. Amen.

896 *Ecce leprosus veniens*, etc. — " Quia quaelibet Christi actio nostra est instructio ", sicut dicit beatus Augustinus; ideo hodierna curatio exterioris leproae corporalem pulcritudinem deformantis, quae est significatio leproae interioris spirituales pulcritudinem deturpantis, est nostra instructio. Unde ad nostram instructionem in verbo proposito sub leprosi metaphora a Deo curati describitur conditio peccatoris quantum ad statum perpetratae transgressionis animam deformantis; quantum ad actum debita subiectionis animam disponentis, et quantum ad affectum discretae orationis sive supplicationis animam elevantis. Primo ergo in verbo proposito notatur perpetratae transgressionis de-

formatio, cum subdit: *Ecce, leprosus veniens*; secundo debite subiectionis *exhibito*, cum subdit: *adorabat eum dicens*; tertio discretæ supplicationis *petitio*, cum subinfert: *Domine, si vis, potes me mundare*. Valde enim fuit discretus in petendo; non enim dixit *descende vel veni*, quasi sua præsentia abesset ab aliquo loco; nec *dic verbo*, quasi in prolatione verbi esset alligata sua potentia; sed dixit: *si vis*, sciens illud Psalmi: *Omnia, quaecumque Dominus voluit, fecit*.

897 I. Primo ergo in verbo proposito notatur conditio peccatoris quantum ad *statum* perpetratae *transgressionis* animam deformantis, cum dicit: *Ecce, leprosus*; et nomine *leprosi* bene peccator intelligitur. Nam sicut morbus lepræ est generanti generati *assimilatio*, corporalis pulcritudinis *deformatio* et communis habitationis *separatio*; sic peccatum, maxime multiplicatum, habet hæc tria mala in anima facere. Nam primo peccatum *superbiae* et ambitionis animam *assimilat* paternæ malignitati; secundo, peccatum *luxuriæ* et fornicationis animam *deformat* in pulchritudine naturali; tertio, peccatum *avaritiæ* et cumulationis animam *separat* a communi habitatione, scilicet paradisi. Unde peccatum *superbiae* ratione malignitatis, cui assimilatur, est odiendum; peccatum *luxuriæ* ratione foeditatis, quam inducit, est abhorrendum; peccatum *avaritiæ* ratione separationis a Deo, quam facit, est fugiendum.

898 Primo peccatum *superbiae* et *ambitionis* ad modum lepræ animam assimilatur paternæ malignitati; unde dicitur secundi Paralipomenon vigesimo sexto: *Elevatum est cor eius in interitum suum, et neglexit Dominum Deum suum*; et sequitur: *statimque orta est lepra in fronte eius coram sacerdotibus in domo Domini*. — Ozias ille, superbus et elatus in corde,

datus est in *interitum* mortis aeternæ, quia *neglexit Deum* omnipotentem, et imitatur per omnia diabolicam pravitatem; et ideo, sicut in spiritali fronte diaboli apparuerunt signa superbiae coram Angelis bonis sibi resistentibus in coelo empyreo, sic in *fronte* Ozias, paternam malignitatem imitantis, *orta est lepra*, in signum *superbiae*, quia elevata et infectus erat in anima *coram sacerdotibus* ei resistentibus in *domo Domini*.

Secundo peccatum *luxuriæ* et *fornicationis* ad modum lepræ animam *deformat* in pulchritudine naturali; unde dicitur Levitici decimo tertio: *Contaminatum ac sordidum se clamabit. Omni tempore, quo leprosus est, etc.* — Et bene infectus vitio luxuriæ debet se *proclamare contaminatum ac sordidum*, eo quod ex immundis affectionibus, inordinatis motibus et illicitis operationibus adeo sordidatur et contaminatur, ut multo abominabilior sit angelicis spiritibus quam leprosus aspectibus quorumlibet hominum. Nec unquam decor Spiritus sancti *habitabit in corpore subdito peccato*, luxuriæ. Certe, super omnia debemus niti ad acquirendam istam munditiæ et castitatis pulchritudinem, quia per istam provocaremus Spiritum sanctum in amorem et concupiscentiam nostri. Unde debemus toto conatu amovere a nobis inordinata desideria et immundas cogitationes, quia, sicut, quando abundant multi humores corrupti in corpore, generant quamdam scabiem et impetiginem et aliquando lepram, tollentes munditiam corporis, sic inordinatae affectiones, immundæ cogitationes et corrupti motus carnales generant scabiem incontinentiæ, lepram luxuriæ et tollunt munditiam castitatis et pudicitiae; ac per hoc corpus fit foetidum habitaculum diaboli non Spiritus sancti.

900 Tertio peccatum *avaritiæ* et *cumulationis* ad modum lepræ animam *separat* a communi habitatione paradisi; unde quarti Regum quinto: *Lepra Naaman adhaerebit tibi et semini tuo usque in sempiternum*; et *egressus est ab eo leprosus quasi nix*. — Quia istum Giezi et quemlibet avarum ardor avaritiæ commovet et incitat accipere illicite bona temporalia, ideo dicitur, quod *lepra Naaman*, qui commovens vel commotio interpretatur, *adhaerebit sibi*, et etiam cuiuslibet imitanti eum; et quemadmodum leprosus expellitur a communi habitatione sanorum hominum, ita avarus, eligens terrenam habitationem cum talpa et *stans oculos* concupiscentiæ *declinare in terram*, privat se communi habitatione Sanctorum. Unde *leprosus* ab Eliseo *egressus* dicitur, id est a consortio cuiuslibet viri sancti, cuius habitatio et *conversatio in caelis est* per appetitum cum Angelis.

901 II. Sequitur: *Adorabat eum, dicens*; ubi notatur debite subiectionis *exhibito*, eo quod sic adorando exhibet divinæ patriæ cultum. Exhibebat enim Christo divinæ patriæ cultum, cum *adorabat eum*: primo cum *humiliatione timoris* et reverentiæ in corde, ratione creantis potentiae; secundo, cum *expressione honoris* et magnificentiae in ore, ratione gubernantis sapientiæ; tertio, cum *ostensione amoris* et benevolentiae in opere, ratione redimentis et glorificantis clementiae. Et sic ratione istarum trium proprietatum soli Deo et non alii debetur cultus patriæ.

902 Primo ergo *adorabat eum* cum *humiliatione timoris* et reverentiæ in corde, ratione creantis potentiae; unde in Psalmo: *Adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo*. Nullus enim perfecte potest Deum adorare, nisi habeat maximam reverentiam ad Maiestatem di-

vinam. Quis enim potest mentali intuitu intueri summum bonum in maiestate Domini et severitate iudicii, quando resiliat in propriam parvitatem? Discamus ergo Christi admirari et formidare virtuositatem potentiae, si volumus provocare in amorem et concupiscentiam nostri pulchritudinem sapientiæ. Nam *principium sapientiæ est timor Domini*, quod disponit et purificat os cordis et oris ad cultum divinæ sapientiæ.

Secundo *adorabat eum* cum *expressione honoris* et magnificentiae in ore, ratione gubernantis sapientiæ; unde in Psalmo: *In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum*. — Tunc homo *psallit* Deo in *conspectu Angelorum* et non in conspectu hominum terrenorum, quando non psallit ad vanam gloriam nec propter temporalia lucra, sed solum ad laudem et gloriam Creatoris cum puritate et rectitudine intentionis. — *Adorabo ad templum sanctum tuum. Templum sanctum Dei est corpus mundum et immaculatum*, in quo anima Deum adoratur et eius nomini confitetur. Portæ eius sunt quinque sensus, qui sunt omni diligentia conservandi, ne mors foeditatis peccati intret per eos, quia, sicut non placet regi vinum, quod hauritur de vase immundo mediante foramine superficialiter pulchrificato, sic non placet Christo laudatio sive oratio, quæ egreditur de corde immundo mediante ore superficialiter devoto.

904 Tertio *adorabat eum* cum *ostensione amoris* et benevolentiae in opere, ratione redimentis et glorificantis clementiae; unde dicitur Matthæi secundo de Magis: *Videntes stellam, gavisi sunt gaudio magno valde, et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria, Matre eius, et proclibent adoraverunt eum; et aperti thesauris suis, obtulerunt ei munera: aurum, thus et myrrham*. Ecce, quod Magi in

exhibitione cultus latriae habebant fervorem amoris et benevolentiae, quia non venderunt ex cupiditate, sed obtulerunt spontanea voluntate Puero parvulo in signum amoris et benevolentiae, non timoris et poenae. Hoc est enim charitatis sive amoris donum, sine quo nullum donum acceptatur. Ipsa enim charitas reddit voluntatem hilarem respectu sui; unde dicitur: *Gavisi sunt gaudio magno; concordem respectu proximi*; unde sequitur: *intrantes domum; liberalem respectu dati*; unde subditur: *aperitis thesauris suis, obtulerunt ei numera: aurum, thus et myrrham*, in signum expressionis fidei interioris.

905 III. Tertio subditur discretæ supplicationis petitio, cum dicit: *Domine, si vis, potes me mundare*. Ita enim fuit discretus ille leprosus in petendo mundationem sui corporis, ut quemlibet alium infectum lepra spirituali informet ad petendum suo exemplo sanctificationem animæ suae. Unde quicumque est infectus vitio alicuius leprae praedictae, debet discrete secundum morbum petere discretum medicamentum. Nam primo *superbus* debet petere mundari a tumore superbiae per timorem filialis reverentiae; secundo, *luxuriosus*, a foetore luxuriae per decorem sive odorem castitatis et munditiae; tertio, *avarus*, ab ardore avaritiae per dulcorem spiritualis laetitiae; ut, sicut anima deordinata est aversa a Patre per tumorem superbiae, a Filio per foetorem luxuriae, a Spiritu sancto per ardorem avaritiae, ita ordinetur ad Patrem per timorem filialis reverentiae, ad Filium per candorem sive odorem castitatis et innocentiae, ad Spiritum sanctum per dulcorem spiritualis laetitiae.

906 Primo ergo mundamur a tumore superbiae per timorem filialis reverentiae; unde secundae ad Corinthios septimo: *Mundemus nos ab omni inquinamento car-*

nis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. — Sicut foetor luxuriae est *inquinamentum carnis*, sic tumor superbiae est *inquinamentum spiritus*; unde primum dicitur peccatum carnale, secundum peccatum spirituale. Et quia non placet Deo qui emundet corpus ab inquinamento luxuriae per amorem castitatis et munditiae, nisi etiam emundet spiritum ab inquinamento superbiae per timorem filialis reverentiae; ideo dicit Apostolus: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus*. Sed quia, nisi timor Domini praecedat, comitetur et subsequatur nostram emendationem, nequaquam possumus sanctificationem perficere, quoniam qui sine timore est non iustificabitur; ideo sequitur: *perficientes sanctificationem in timore Domini*.

Secundo, a foetore luxuriae mundamur 907 per decorem castitatis et pudicitiae; secundae ad Timotheum secundo: *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum et utile Domino ad omne opus bonum paratum. Invenilia desideria fuge*. — *Si quis ergo emundaverit se ab his inquinamentis luxuriae per amaritudinem contritionis et poenitentiae, erit vas in honorem sanctificatum, per pulchritudinem coelestis gratiae sive castitatis et munditiae; et utile Domino ad omne opus*, per complacentiam divinae voluntatis. Non enim placet nobilissimo Regi Christo neque acceptatur in opere ministerii sui vas sordidum et immundum. *Invenilia desideria fuge*; non dicit: *resiste*, sed *fuge*, quia melius superatur vitium luxuriae per fugam quam per resistentiam.

Tertio, ab ardore avaritiae mundamur 908 per dulcorem spiritualis laetitiae; unde Ezechielis trigesimo sexto: *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos*.

— Quia enim mens avari aestuat variis desideriis, ardet terrenis affectionibus; non enim quiescit per diem inutilibus distractionibus nec per noctem variis cogitationibus; ideo dicit Dominus: *Effundam super vos, depressos ad terram, aquam mundam*, id est gratiam Spiritus sancti ad refrigerationem ardoris avaritiae, cuius gustatio tanto dulcore refrigerat ardentem animam terrenis affectionibus, ut desipiat omnis appetitus ardoris et terrenitatis. *Et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris et ab universis idolis vestris*. Dicitur peccatum avaritiae omne *inquinamentum*, eo quod cupiditas est radix omnium malorum; appellatur nihilominus nomine *idolorum*, quia, secundum Apostolum, *avaritia est idolorum servitus*. Et propter hoc valde bonum consilium dabat Dominus Lucae undecimo: *Veruntamen, quod superest date eleemosynam, et ecce, omnia munda sunt vobis*.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

[DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 2, N. 48].

XLVIII.

909 ITAQUE apud illos Scriptores testimonia Patrum et Conciliorum reperias. Nos vero hic tantummodo afferemus Acta S. Philippi Heraclensis Episcopi, qui in eunte quarto saeculo Martyrii palam consequutus est. In iis, ut videre est apud Ruinarium, verba haec leguntur, quibus sanctus ille Martyr suos in Christo Fratres cohortabatur: *Nutantis saeculi extrema voluntur, imminet pernix diabolus, et potestate paupis accepta Servos Christi non venit perdere, sed probare. Epiphaniae dies sanctus incumbit, quae res admonitionem nobis praestat ad gloriam. Nullae ergo impiorum viae, nulla vos tormenta terrent; nam et patientiam perferendi, et mercedem tolerandi dolores multibus satis Christus indulget. Neque vero illud sileri potest, quod ea semper fuit apud Christianos huius Festi celebritas, ut illi vel impiissimi Imperatores adesse voluerint: narrat enim Ammianus Marcellinus, lib. 27, Iulianum Apostatam, cum esset in Gallis, impletatis suae Christianam Religionem praetexere volentem, in hac die una cum*

ceteris Christianis sanctorum Mysteriorum celebrationi adfuisse; et Gregorius Nazianzenus idem narrat de Valente Imperatore in Orat. de S. Basilii laudibus, ut videre est in Baronii notis ad Martyrologium Romanum Kalendis Ianuarii, et apud Bollandum in festo huius diei. Quamquam supervacaneum iure videri possit, quid homines fecerint enarrare, cum Omnipotentis Dei tot miracula suppetant, quibus magni huius Festi solemnitate magnificentissime commendavit. Narrat D. Chrysostomus, Hom. 24, to. n. 1, Christianos media nocte ab Ecclesia domum esse solitos aquam afferre, eamque ad annum integrum reservare in commemorationem Baptismatis Christi; quo aquae sunt consecratae, eiusque anni, atque etiam duorum triumve annorum spatio decurso, eam aquam nullo infici vitio: *Omnes enim in hac solemnitate sub noctem cum aqua fuerint, latentes domum referunt et reconduunt, ac per integrum annum conservant, usque quod hodierna die sanctificatas sint aquae: fitque miraculum evidens, dum nihil temporis longinquitate aquarum illarum natura vitatur, sed integro anno, atque adeo biennio, et triennio, saepe quae hodie fuit hausta, incorrupta ac recens permanet, ac post tantum temporis cum iis, quae fuserint et fontibus ductae, certat. Quam quidem consuetudinem afferendi domum aquam benedictam adhuc retinent Christiani Orientales, et incorruptae aquae miraculum nonnunquam solet contingere. Comperit enim habemus, Iosephum Georgerinum Sami in Aegeo mari insulae Archiepiscopum ann. 1676 dum esset in Gallia, aquam Orientali ritu in Ecclesia consecrasse; in eam Iesu Christi statum ter immerisse in eius Baptismi memoriam, eamque aquam vitreo simpulo inclusam multos annos ab omni vitio fuisse expertam, ac fortasse duraturam fuisse diutius, nisi simpulum diffractum fuisset, ut tradit Gravesonus, Dissert. 8 De Myster. et annis Christi, pag. 185, et Card. Gottus, tom. 4, par. 1, de Verit. Relig. Christi, cap. 2 § 5, num. 41.*

FERIA QUINTA

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.

HOM. IN DOM. III. POST EPIPH.

910 **B**ENE ubi leprosus mundatur, certus non exprimitur locus, ut ostendatur non unum populum specialis alicuius civitatis, sed omnium populos fuisse sanatos. Et quia Domi-